



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

Tractatus IV. De Interdicto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

TRACTATUS QVARTVS, DE INTERDICTO.

RESOLVTIO PRIMA.

An interdictum personale speciale possit fieri pro culpa veniali? Ex part 5. tract. 10. Ref. 79. aliàs 78.

Sup hoc sup.
in tr. 1. Ref.
13 §. Sed an.
& inf. in tr. 5.
Ref. 3.

SUPPONO quoddam causam, propter quam ferri potest interdictum, communius debet esse peccatum mortale, & quidem grave, quia communius interdictum est gravis poena, & proinde causa non potest esse levis, dico communius, quia leve aliquod interdictum, v. g. ab ingressu Ecclesiae per mensem, &c. videtur posse ferri pro culpa veniali. Hoc supposito negativam sententiam docet Suarez. disp. 36. sect. 3. numero 3. Layman lib. 1. cap. 5. p. 4. tract. 4. num. 4. & Præposit. in 3. p. q. 4. de interd. dub. 1. n. 3. quia tale interdictum ratione personæ est gravis poena, ergo.

2. Verum affirmativæ sententiæ adhaeret Sæ verb. Interdict. n. 7. Hentii lib. 1. 3. cap. 50. n. 2. & Avila p. 5. disp. 3. dub. 2. concl. 2. unde utramque sententiam probabilem esse puto.

RESOL. II.

An interdictum personale generale possit fieri pro debito pecuniario? Ex p. 5. tr. 10. Ref. 89. aliàs 79.

NEGATIVAM sententiam tenet Sotus in 4. dist. 9. q. 3. art. 1. post 3. concl. & Avila p. 5. disp. 3. dub. 3. concl. 3. quia licet in Extravag. providet de sententia excomm. prohibeatur solum hoc fieri in interdicto locali, quod intelligitur tam de generali, quam de particulari, debet tamen extendi ad interdictum personale generale propter paritatem rationis, quod scilicet inde multa animarum damna sequantur.

2. Sed opinio contraria magis probabilis videtur Præposit. in 3. p. q. 3. de interdicto dub. 1. n. 5. quia Extravag. citata solum agit de interdicto locali: ergo non est extendenda ad alia interdicta, & ex rei natura interdictum personale poni potest propter debitum pecuniarium, ut indicat Emanuel Sæ verb. Interdictum, num 8. & docet Suarez disp. 36. sect. 3. n. 8. vide etiam Villan. infam. tom. 1. tract. 19. diff. 10. n. 7.

RESOL. III.

*Quale peccatum sit violare interdictum?
Et an laicus non interdictus si sine vi, aut scandalo audiat officia divina, praesertim Missam in loco interdicto, peccet mortaliter? Ex p. 5. tr. 10. Ref. 69. aliàs 68.*

AD hoc dubium respondet Tannerus tom. 4. disp. 6. q. 10. dub. 8. n. 152. ubi sic ait. An autem sit mortale, an veniale violare interdictum; ita distinguendum videtur, ut violatio quidem interdicti personalis facta ab illis, qui in culpa interdicti sunt, sit mortalis, sive laici sint, sive Clerici, ut cum Navarr. n. 187. docet Henric. cap. 2. n. 2. Violatio autem

interdicti localis in Clericis quidem, ad quos proprie hoc interdictum spectat, sit ex suo genere peccatum mortale, ut habet communis, quamvis Sæ id non improbabilius restringat ad Clericos Ordinibus sacris utentes; in laicis vero seculis scandalo, & contemptu, non sit nisi veniale, ut docet Cajetanus & Sæ verb. interdictum. Hæc Tannerus. Sed an probabiliter iudicent alii, & videant Filliuc. tom. 1. tract. 38. cap. 5. n. 85. & Coninch ubi infir. n. 64. qui nominatim Cajetanum impugnatur.

2. Sed difficultas est, an laicus non interdictus, si sine vi, aut scandalo audiat Officia divina, & praesertim Missam in loco interdicto, peccet mortaliter? & affirmativam sententiam docet Coninch disp. 17. dub. 3. n. 68. quia in c. si sententia 16. de sen. excomm. in 6. dicit talem licite audire divina Officia in loco non interdicto, ergo supponit eum ea illicite audire loco interdicto, & consequenter hoc esse ei prohibitum, quare quando materia erit gravis, peccabit mortaliter. Ita Innocent. & Archidiaconus apud Sylvest. & Suarez disp. 34. sect. 4. n. 9. ubi tamen addit talem assistendo aliis Officiis divinis, excepto sacrificio Missæ, facile posse excusari à peccato mortali, ob materiam levitatem quia etsi nonnihil longo officio assistat, parum tamen hoc videtur repugnare Ecclesiae voluntati, quæ talibus non ita graviter prohibet divinis Officiis interesse. Secus autem dicendum esse de sacrificio Missæ quoad assistentes cum Sacerdote suo modo etiam offerant. Hæc omnia Coninch cui addit Suarez disp. 34. sect. 3. n. 9. Hurtadum tract. de interd. diff. 10. n. 33. & Præposit. in 3. p. q. 4. de interd. dub. 5. n. 4.

3. Sed ego contrariæ sententiæ adhaereo cum Soto in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. concl. 6. Sylvestro verb. interdictum 6. n. 7. Angelo eod. ver. 7. n. 9. asserentibus in tali casu tantum peccatum veniale adesse, & præter DD. citatos tenet ex neotericis hanc sententiam Reginaldus tom. 2. lib. 32. tract. 3. cap. 30. n. 42. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 18. punct. 2. ad fin. Layman lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. 3. n. 2. Avila part. 5. disp. 5. dub. 2. & Hentii lib. 13. cap. 46. n. 3. Imò prædictus Avila putat probabile esse in tali casu nullum adesse peccatum, quia nullum est præceptum in iure, quod dirigatur ad laicos, sed tantum ad Clericos, ne laicos non privilegiatos admittant ad divina Officia in loco interdicto, ut patet cap. responsum, de sent. excomm. cap. non est nobis, de sponsalib. & cap. licet, de priv. in 6. & ubi nullum est præceptum, nullum erit peccatum. Sed ego ad minus in tali casu peccatum veniale adesse non dubito, quia talis facit aliquo modo contra intentionem Ecclesiae, nam etsi ea interdictio principaliter feratur ad Clericos, ne laicos ad divina Officia in loco interdicto admittant, cap. responsum, de sent. excomm. cap. non est nobis, de sponsal. cap. licet de priv. in 6. tamen pertinet etiam consequenter ad laicos, ut ipsi loco interdicto post promulgationem se non ingerant, sicuti sententia excommunicationis principaliter afficit excommunicationem, ut cum aliis non communicet. Secundario autem & consequenter etiam alios, ut ab eius communicatione post denunciationem abstineant. Puto tamen dici posse, hanc interdicti transgressionem esse tantum peccatum veniale.

RESOL.

RESOL. IV.

An in violatione interdicti deat parvitas materia? Ex p. 5. tract. 5. Ref. 59.

§. 1. **R**espondeo affirmativè cum Turriano de censuris lib. 6. disp. 49. dub. 5. ubi sic asserit. Suarez docet videri peccatum mortale, si quis dicat Orationes divini Officii, præmissis *Dominus vobiscum*, quia licet quantitas sit parva, tamen est actus Ordinis sacri proprius, & qualitate magna: ergo si fiat in choro contra prohibitionem, erit grave peccatum. Ego tamen non video idoneum fundamentum ad hoc asserendum. Addit Pater Suarez etiam fore peccatum grave benedicere aquam cum asperzione salis, & benedictionem Episcopalem solemniter datam, quia sunt actus Ordini facto annexi, & licet breves videantur, tamen magni momenti sunt. Sed non audeam asserere esse peccatum grave tales actus, quia & quantitate sunt parvi, & non apparet ex alio capite insignis ejus gravitas, & juxta doctrinam istam facile est in similibus philosophari. Ita ille. Sed sententiam Suarez tenet Iacobus Gordonus tom. 2. lib. 7. quasi. 16. cap. 10. num. 65. ubi sic ait: Obijciens esse saltem quædam alia, quæ omnino levia videntur, ut est aquæ lustralis benedictio, vel asperio solita fieri solemniter die Dominico, sollemnis benedictio data ab Episcopo, exercitium minoris Ordinis, & canere publicè in Ecclesia divinum Officium. Respondeo benedictiones illas esse actus alicui facto Ordini annexos, & ideo gravem habere materiam, per se loquendo, cum sunt publicè, & sollemni ritu. Idem dico de minoribus Ordinibus, quia sunt actus sacri, ad quos Minister ex officio est consecratus, & ideo si cum propria, & primæva sollemnitate fiant, inducunt simile peccatum. Dixi, si cum propria & primæva sollemnitate fiant, quia jam vix illa in praxi est; & ideo locus esse potest exultationi. Canere autem dicto modo, peccatum mortale erit saltem in Clerico, de quo hæc est pars assertiois; potest tamen materia levitas excusare, si tantum exiguum Officii partem canat, & quæ non sit Oratio Officii, addendo versiculum, *Dominus vobiscum*, & hæc de Clericis. Hucusque Gordonus. Sed ego puto sententiam Turriani etiam probabilem esse.

RESOL. V.

An sit peccatum mortale dicere Missam tempore interdicti, omitta una circumstantia ex requisitis in cap. Alma Mater, ut v. g. facere Sacrum apertis januis, &c.? Ex part. 5. tract. 10. Ref. 66. aliàs 65.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Hurtadus tract. de interdicto diff. 10. num. 32. Sylvester per interdictum §. quest. 5. in princ. Tabiena eod. ver. n. 2. Armilla n. 4. & huic sententiæ favet Clem. 1. de sent. excom. ubi transgressio interdicti videtur judicari gravis, quia januis quibusdam obleratis Missa diceretur, & ratio esse potest, quia in ordine ad observandam penam interdicti, ea circumstantia gravis videtur, & ita hanc sententiam docet Suar. disp. 34. sed. 4. quæ etiam explicari potest, quia violationis materia non censetur sola circumstantia, sed totum officium dictum sine illa circumstantia, ac proinde materia est gravis, & ideo addit Pater Suarez, ut peccatum sit grave, debere dici totum Officium vel magnam ejus partem cum defectu ejus circumstantiæ.

2. Tamen ut observat Turrian. lib. 6. disp. 49. dub. 6. existimare posset aliquis non esse mortale defectu talis

circumstantiæ, quia si secundum se circumstantia sola non est gravis, neque videtur græve totum officium cum illo defectu celebrare; modus enim indebitus celebrandi Officium ex circumstantiis indebitis videtur colligendus, & oppositum non probatur ex citata Clem. quia ibi non est sermo de solo defectu ejusdem circumstantiæ, sed de aliis etiam, quæ faciebant Religiosi, & non sine scandalo. In hoc ergo casu non dubito, quin fuerit grave peccatum violatio interdicti; ex hoc tamen non colligitur omissionem circumstantiæ unius, vel alterius præcisè absque scandalo, vel contemptu, neque ex intentione tribuendi aliis occasionem audiendi divina Officia tempore interdicti fore mortalem, quamvis ob periculum scandali semper magna providentia sit agendum.

RESOL. VI.

An prohibitus celebrare in loco delicti, possit celebrare, v. g. in Ecclesia Patrum Capuccinorum, vel Carmelitarum prope Urbem existente? Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Refol. 123.

§. 1. **D**E hoc casu in facti contingentia interrogatus fui, nam quidam Regularis obtinuit à Summo Pontifice dispensationem ab irregularitate homicidii, cum clausula quoddam non possit celebrare in loco commissi delicti, qui locus erat civitatis Pannoniæ; quæsitum fuit, an supradictus potuisset celebrare in quadam Ecclesia existente prope urbem Pannoniæ? casus est curiosus, & practicabilis; & pro parte negativa facit textus in l. qui incontinentibus, ff. de verborum significat. ubi natus in suburbis, dicitur natus in civitate, & testator si legeret alicui bona sua quæ Romæ habet, censentur etiam legata bona quæ in suburbis Romæ sunt, ut habetur in l. cui quæ Romæ, ff. de legat. 3. & docet Baldus & Felinus in cap. Rodolphus, de rescriptis, & Menochius de presumption. lib. 4. presumpt. 126. num. 13. & tandem in l. 2. de verbor. signif. aperte dicitur, appellatione Romæ venire etiam suburbia, & continentia ædificia, ut observat ibi glossa, & Doctores communiter, quod etiam demonstrat modus loquendi Summorum Pontificum: qui in Bulla anni Iubilæi basilicas SS. Apost. Petri & Pauli appellant de Urbe, cum revera sint in suburbis, & sic etiam loquitur Bonifacius VIII. in Extrav. 1. de penit. & remiss. Sixtus IV. in Extravag. quemadmodum operosi, eodem tit. Greg. XIII. Clement. VIII. & Urban. VIII. in Bullis Iubilæi plenissimis, & tandem Ioan. Andreas in cap. si civitas, ubi infra, num. 7. observat, quoddam Romæ fieri videntur, quæ in continentibus ædificiis sunt.

2. Verum his non obstantibus puto supradictum Regularem potuisse celebrare in illis Ecclesiis, & pro hac sententia adduco cap. si civilis, de sent. excomm. in 6. ubi interrogatus Pontifex an interdicta civitate, intelligantur etiam suburbia interdicta? respondet, quoddam licet civitates aliæ murorum ambitu videantur terminari, hoc tamen casu ne in vilipendium veniat sententia interdicti; expedit interpretationem fieri latiore, ex quibus verbis, ut optime notat Megalius in 1. part. lib. 1. cap. 13. numer. 21. & alii, clarè constat in omnibus dispositionibus, excepta sententia interdicti, appellatione civitatis venire tantum quæ murorum ambitu terminantur, hoc enim exceptio illa demonstrat, cujus natura est firmare regulam in omnibus aliis non exceptis, juxta cap. Dominus 32. quasi. 7. & ea quæ notantur in cap. quoniam, de conjug. leproforum, & ideo Io. de Vanquæ in dict. cap. si civilis, observat,

R. 4. dispositio

* Sup. hac doctrina in to. 7. tr. 1. Ref. 269. leg. 5. Nota tertio.

dispositionem illius textus esse singularem in casu interdicti, cum regula sit in contrarium; vide etiam Ancharanum in d. cap. num. 1. Deinde adduco pro hac firmāda sententia doctrinam Bartoli & Alciati in l. 2. ff. de verb. significat. Rubi conf. 92. num. 2. Menochij de arbitr. lib. 2. cent. 2. cas. 155. num. 10. asserentium quod in materia odiosa appellatione urbis, seu civitatis non veniunt suburbia, secus autem in materia favorabili: unde patet responsio ad argumenta contraria pro negativa sententia adducta, nam in illis casibus leges, ut patet, loquuntur in materia favorabili; secus autem est in casu de quo loquimur, cum versetur circa materiam odiosam: ergo, &c.

3. Confirmantur supradicta ex cap. literis, de consuet. & ex l. penult. ff. de penis, ex cap. in penis 49. de regul. juris in 6. quod in poenis benignior sit interpretatio, ut notat Tiraquellus in l. si unquam, ver. revertatur, n. 246. Thomas de Thoma in floribus legum, reg. 158. Vgolinus de potest. Episc. cap. 6. §. 1. num. 3. & alii. Sed in casu de quo loquimur poena est appposita quod celebratio non fiat in loco delicti, & locus delicti fuit civitas Panormi, cujus appellatione, ut dictum est, & observat etiam Azevedus in addit. ad Curiam Pisanam, lib. 2. cap. 2. n. 3. & Barbosa in collect. tom. 4. lib. 5. cap. 16. num. 4. propterea non venit, nisi id quod murorum ambitu terminatur; ergo dicta poena non est extendenda ad Ecclesias extra muros urbis Panormi edificatas, cum poenae non sint amplianda, sed restringenda, ut docet Burgos de Paz conf. 8. num. 2. Surdus de alimentis tit. 1. quest. 51. num. 12. & alii communiter, etiam si extensio fiat ex similitudine rationis, ex Imola in l. si vero, §. de viro ff. solut. matrim. Ducna regul. 287. ergo &c.

RESOL. VII.

An licitum sit celebrare coram personis interdictis?
Sed difficultas est, si persona interdicta expelli non possit, quid est faciendum? Ex part. 5. tract. 10. Rel. 65. alias 64.

§. 1. Certe est debere expelli; sed difficultas est, si persona interdicta expelli non potest, & in tali casu sic responder Phil. Faber. de cens. in 4. sent. dist. 25. quest. 1. disp. 5. cap. 2. n. 113. Aliqui dicunt non esse celebrandam Missam, & si sit inchoata, nec perventum ad Canonem, esse cessandum. Alii asserunt Missam celebrari posse, quia nullibi in iure hic effectus assignatur, neque a DD. Unde auctoritas negativa licet non sit aliis efficax, in hac re tamen est efficax, quia DD. hunc casum non praetermisissent. Solum ergo Sacerdoti non licet celebrare coram interdicto, quando locus est interdictus (quod habet locum solummodo, quando privatim celebret secundum limitationes in cap. alma, supra explicatas, ut ex se patet) quia expressè praecipitur dicto cap. alma, quod interdicti excludantur, sed quando locus non est interdictus, sed habilis, licet sit aliquis interdictus praesens, dicunt licere celebrare, & alia divina facere. Ita tenet Suarez licet cum formidine. Ego tamen in praxi non puto, hanc opinionem tutam, quia mutuo referuntur celebratio activa & passiva assistentia, ideo cum prohibetur assistentia passiva alicui, consequenter agenti ministratio activa etiam prohibetur. Ita Faber contra Suarez.

2. Sed sententiam Suarez sequitur Mercerus in 3. p. 9. 24. de interdicto dub. 3. Turrian. lib. 6. disp. 49. dub. 2. ubi sic ait: Quando locus non est interdictus, sed tantum persona est interdicta, & expelli non potest, probabile videri non esse ob eam causam omittendam

Missam, quia non est pro hoc eventu peculiaris prohibitio iuris positivi, quia iura quae decernunt excludendos esse interdictos, tractant de locali interdicto, neque apparet ratio, quae nos cogat oppositum affirmare: & explicari amplius potest, quia in tali eventu non est moralis cooperatio cum persona interdicta, quia potius est contra voluntatem facientis Sacrum. Unde considerato solo iure naturali non est aliquid, ratione cujus celebratio sit inhonesta, & contra rationem. Hæc Turrianus, qui tamen addit posse esse moralem cooperationem, si voluntarie permittatur interdictus audire Missam. Item posset cessare obligatio omittendi Missam ante inceptum Canonem ob scandalum.

RESOL. VIII.

An deficiente Clerico possit Sacerdos accipere laicum ad servendum Missæ?
Et an in dicto casu possit celebrare cum duobus Ministris laicis? Ex p. 5. tract. 10. Rel. 88. alias 87.

§. 1. Respondeo affirmative cum Præpol. in 3. p. quest. 4. de interd. dub. 3. num. 31. ubi sic ait: Notandum Sacerdotem, cui conceditur tempore interdicti celebrare Missam, posse deficiente Clerico accipere ministrum laicum, quia concessio principaliter censetur concedi accessorium, & praeteritum quando de his aliis principale non potest iuxta morem Ecclesiae obiri. Imò si Prælatum non solet celebrare sine duobus Ministris, potest eos adhibere etiam tempore interdicti, imò verius est id posse simplicem Sacerdotem, cum olim solet adhiberi duo Ministri in sacrificio Missæ, quod, licet consuetudo sit moderata, non tamen sustulit facultatem eos adhibendi iuxta praescriptum antiquorum Canonum, ita Præpositus, cui adde Villalob. in summ. tom. 1. tract. 19. disp. 5. num. 13. & Mercerus in 3. p. quest. 24. de interd. dub. 3. & Ludovicum de la Cruz in Bull. Crux, disp. 1. cap. 5. dub. 3. num. 4.

RESOL. IX.

An Sacerdotes qui possunt in interdicto Missam dicere, & Clerici Divinis Officiis assistere, possint etiam communicare absque celebratione? Ex p. 5. tract. 10. & Resol. 83. alias 82.

§. 1. Negativam sententiam docet Cornejo in 5. sup. part. tract. 5. de interd. dub. 4. Præpol. in 3. p. part. 9. 4. de interd. dub. 3. num. 22. Henricus lib. 13. cap. 45. num. 2. Sotus in 4. disp. 22. quest. 3. art. 1. post 4. concl. Turrian. lib. 2. disp. 48. dub. 2. Villalob. in summ. tom. 1. tract. 19. disp. 5. num. 10. Avila p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 5. concl. 3. Bonacina de cens. disp. 5. punct. 3. §. 1. num. 8. Alter. tom. 2. disp. 4. cap. 4. dub. 8. & Hurtad. tract. de interd. disp. 8. n. 8. Quia iure antiquo etiam erat prohibitum sacramentum Eucharistiae, quia non erat exceptum, nisi constitutis in articulo mortis, ut constat ex cap. quod in te 11. de penitent. & rem. & ex cap. permittimus 57. de sent. excomm. in cap. autem Alma mater, tantum permittitur celebratio Missæ, non communicatio more laicorum.

2. Verum contrariæ sententiæ ego adhæreo, quam tuetur Suar. disp. 33. sect. 1. n. 35. & Feqq. Sæ ver. interd. num. 17. Sylv. cod. ver. 5. num. 9. ver. Quarta. Angelus ver. 6. n. 22. ad finem, & hanc sententiam tanquam magis piam & favorabilem amplectitur. Sayt. lib. 5. cap. 7. num. 21. & ex Theologis Societas. etiam illam tenet Egid.

Agid. Coninch de Sac. disp. 17. dub. 2. n. 36. & novissime Mercet. de Sac. in 3. p. 9. 24. de interd. dub. 2. Et ratio est, quia cui conceditur assistere, & a fortiori dicere Missam, conceditur communicare, nisi expresse excipiat, prout etiam optat Conc. Trid. sess. 22. c. 6. ut in singulis Missis fideles praesentes communicent. Vide etiam Megalam in 3. p. lib. 2. c. 2. 9. 1. n. 29. & post hanc inveni nostram sententiam docere Fabrum de cens. in 4. sem. disp. 25. q. 1. disp. 5. cap. 2. n. 25. ubi sic ait: Fallum est quod non concedatur haec communicatio laica personis illis, quibus licet celebrare divina tempore interdicti. Nam in calama, ut considerat Suar dicitur. Dicantur divina Officia sicut prius. At prius, id est, ante interdictum ita celebrantur, ut non Sacerdotes Clerici sumant Eucharistiam more laico. Similiter Sacerdotes aliquo impedimento non potentes celebrare eodem modo communicant: ergo item favores sunt ampliandi, & accessorium sequitur principale: ergo dum principale conceditur, quod est celebrare divina, etiam conceditur accessorium; quod est communicatio laica. Ita Phil. Faber, & ego. Vide etiam Filiucium tom. 1. tract. 18. cap. 2. num. 42.

RESOL. X.

An laici, quibus tempore interdicti licitum est in aliquibus diebus Missam audire, possint etiam sacram Eucharistiam sumere?

Et an si tempore interdicti occurrat praeceptum sumendi Eucharistiam, ut in Paschate Resurrectionis, poterit dispensari? Ex p. 5. tr. 10. Ref. 84. aliis 83.

S. 1. Negativam sententiam tenet Sylvester ver. interd. 5. q. 2. Sotus in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. post 4. concil. D. Ant. p. 3. tit. 26. c. 4. Prapof. in 3. p. q. 4. de interd. dub. 3. n. 22. Henricus lib. 1. c. 4. 5. n. 2. Navar. c. 27. n. 178. Hurtad. tr. de interd. diff. 7. n. 25. Avila p. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 12. Gordon tom. 2. lib. 7. q. 16. cap. 4. n. 42. & Turrian. ubi infra, quia supradictis ex communi sensu conceditur tantum assistentia, ut possint audire divina Officia, & eis prohibita est communicatio: ergo, &c.

2. Verum Suar. disp. 33. sect. 1. n. 36. & seq. contrariam sententiam putat probabilem, & ideo existimat in diebus festis, in quibus cap. Alma mater, conceditur, ut tempore interdicti possint omnes audire Missas, posse intelligi, ut etiam possint sumere Eucharistiam, propter rationem factam, nempe quod qui assistunt Missae, participes sunt sacrificii Missae, & communionis, quia cap. Alma mater dicit, participationem permittimus divinum, quamvis tandem dicat contrariam opinionem facile defendi posse, & in praxi servandam esse Ecclesiae consuetudinem, & hanc posteriori sententiam, quam probabilem putavit Suar. testatur Turr. lib. 6. disp. 48. dub. 2. iudicatam etiam esse probabilem à multis doctissimis viris in Hispania, praesertim in Academiis Compluten. & Salmanticensi, de hac re interrogatis, quorum responsa ipse Torrianus testatur & vidisse & legisse; erant autem pluresquam quadraginta viri primarii seculares, & Religiosi ex omnibus Religionibus, qui sensui Suarez subscripserant, contra pauciores quosdam & numero & doctrina inferioris cuiusdam Academiae in Regno Aragonensi. & ita hanc sententiam praeter Suar. tenet etiam Faber de cens. in 4. sem. disp. 25. q. 1. disp. 5. cap. 2. n. 25. Layman lib. 1. tr. 7. p. 4. c. 2. n. 3. Coninch de Sac. disp. 27. dub. 2. n. 36. & Mercet. in 3. p. 9. 24. de interd. dub. 2. ubi sic ait: Cui conceditur assistere Missae, conceditur etiam communicare, nisi expresse excipiat, prout etiam optat Conc. Trid. sess. 22. c. 6. ut in singulis Missis fideles praesentes communicent. Unde etiam sequitur quod laicis licet tempore interdicti

sumere Eucharistiam in quatuor festis, videlicet Paschae, Nativ. Domini, Pentecost. & Assumpt. B. M. quod quidem per c. Alma, possunt iuste divinis interesse, imò ad implendum praeceptum de annua communionem, tenentur tunc communicare, cum omne impedimentum iuris antiqui sit ablatum per c. Alma mater.

3. Vide etiam Megal. in 3. p. lib. 2. cap. 2. q. 1. n. 30. & ideo statim probabilitate supradictae opinionis tempore interdicti si occurrat praeceptum sumendi Eucharistiam, ut in Paschate Resurr. poterit dari secularibus. Ita Suar. & Coninch. cui adde Portel. in dub. reg. ver. interd. num. 16. Sed negat hoc Turrian. loc. cit. & Avila cum Alter. tom. 2. disp. 4. cap. 4.

RESOL. XI.

An tempore interdicti, quando celebrantur divina Officia ex privilegio, per Festa Paschatum, intelligantur tantum primi dies?

Et an dicta Festa Paschatum accipienda sint à primis vespers juxta morem, quo Ecclesia solet Festivitates inchoare?

Adde Festum Paschatis posse sumi saltem à Gloria in excelsis Sacri diei Sabbati.

Et aliqua alia circa supradicta, & circa celebrationem festivarum Corporis Christi, & ejus Octavas, explanantur in praedicto casu, & tempore interdicti? Ex p. 5. tract. 10. Resol. 61.

S. 1. Affirmative respondet Suar. disp. 34. sect. 1. Quoad hoc in 39. Moscoso in sum. tr. 16. c. 8. Alter de cens. tom. 2. disp. 5. c. 5. Regim. tom. 2. lib. 32. tr. 3. c. 28. n. 536. Villalob. in sum. tom. 1. tract. 19. d. ff. 7. n. 4. ubi sic ait: [Mas advierte que estas fiestas no se han de se entender mas que por el primero dia, que esse es verdaderamente el dia de la fiesta, que el dia de la Natividad en aquel dia se acaba, y el dia siguiente es de San Juan, y lo mismo es de las otras fiestas como tiene la sentencia comun, con la Glosa, solo à Soto veo de diferente parecer sin fundamento bastante.]

2. Sed ego contrariae sententiae adhaereo, quam praeter Sotum in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. tenet etiam Faber de cens. in 4. sem. disp. 25. q. 1. disp. 5. dub. 5. n. 43. Avila p. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 4. Hurtad. tract. de interd. diff. 7. n. 24. Dicendum est igitur sub nomine Paschatum intelligi omnes dies festivos, & in primis in Paschate Resurrect. & Pentecost. id non potest negari, quia omnes illi dies festivi tantum pertinent ad ea mysteria, & in eorum honorem observantur; in Paschate quoque Nativitatis negandum non est, reliquos die festivos post primum, sive duos, sive tres, etiam pertinere ad festivitatem Nativitatis, quamvis principalius ad alios Sanctos, & observati non tantum in eorum honorem, sed etiam in honorem Nativitatis, quia quamvis in honorem Sanctorum non observantur, etiam observantur in honorem Nativitatis saltem duo post primum, sicut fit in aliis Paschatibus, & ut observetur tertius dies post primum, ubi observatur, non parum juvat Nativitas Christi.

3. Notandum est etiam hic cum Ioan. de la Cruz in direct. conf. p. 2. de interd. dub. 1. concl. 3. Ioan. Prapof. in 3. p. q. 4. de interd. dub. 5. n. 34. Mercero in 3. p. 9. 24. de interd. dub. 3. Fabro, Moscoso, Hurtado ubi supra, hanc festa accipienda esse à primis Vespers juxta morem, quo Ecclesia solet festivitates inchoare. Adde festum Paschatis posse sumi saltem à Gloria in excelsis sacri diei Sabbati, quia Ecclesia censetur tunc inchoare festum Resurrectionis, non tamen comprehenduntur Octavae; sed quoad suspensionem interdicti censetur finiri saltem finito Completorio. Martinus V. & Eugen. IV. his festis addiderunt Corporis Christi festum cum Octava.

4. Et

4. Et tandem non desinam pro materia presentis quaestionis apponere hic verba Moscoli in *sum. tr. 16. cap. 8.* ubi sic ait. [Algunos Doctores han dicho, que tambien se pueden dezir, y cantar con toda solemnidad las Missas de las Vigilias de las tres dichas Pascuas por virtud deste dicho Privilegio, y que desde ellas deve se començar a levantar, y suspender el entredicho. No abraço esta opinion porque verdederamente es hazer mucha violencia a nuestro *cap. Alma mater*, que nominatim señala, y declara los dias de las tres Pascuas del año, y el de la Asuncion de nuestra Señora. Pero tambien es opinion comun, y se puede seguir muy bien en quanto a la Vigilia de la Pascua de Resurreccion, desde de la gloria que en ella se canta con toda solemnidad, y con probabilidad tambien se puede hazer, y guardar lo proprio en la Missa de la Vigilia de la Pascua de Pentecostes, y para el acierto, y seguridad desta opinion se lea el P. Avila del a Compañia en su tratado de censuras, que allí da la razon porque se deve hazer, y guardar esto, con mas propiedad en la Missa destas dos Vigilias, que no en la Missa de la Vigilia de la Pascua de Navidad.

RESOL. XII.

An Clerici conjugati possint interesse Divinis officiis tempore interdicti? Ex p. 5. tr. 10. Ref. 86. alias 85.

§. 1. **N**egativè respondet Hurtad. *tract. de interd. diff. 7. num. 19.* quia isti non gaudent nisi privilegio Canonis & fori, ut patet ex *cap. vn. de Cler. conjug.* in 6. & etiam docet Ioan de la Cruz in *direct. confiten. p. 2. de interd. not. 1.* & Gordonus *tom. 2. lib. 7. q. 16. cap. 4. num. 16.* Trullench in *Bulla Cruc. lib. 1. §. 3. dub. 2. num. 4.* & alii.

2. Mihi verò magis placet opinio affirmativa cum Villalob. in *sum. tom. 1. tract. 19. diff. 5. num. 7.* Mercero in *3. p. q. 24. de interd. dub. 3. & 4.* Layman *lib. 1. tr. 5. p. 4. cap. 2. num. 2.* Avila p. 5. *disp. 4. sect. 2. dub. 4. concl. 2.* & Coninch de *Sacram. n. disp. 17. dub. 2. num. 30.* si juxta decretum Trident. ex mandato Episcopi alicui Ecclesiae interserviant. Hoc ipso enim quo tales Clerici ita servitio Ecclesiae deputati sunt, videntur in hoc aequales aliis Clericis computari, & consumantur, quia, vel illi tunc non interserviunt Ecclesiae recipiunt sua stipendia, & sic essent meliori conditione, quam alii Clerici, qui non accipiunt stipendia nisi interserviant, & Ecclesia damnum acciperet, quæ & eorum servitio, & suis stipendiis privaretur, vel ipsi iisdem stipendiis privarentur, & hoc esset valde durum, cum ea ratione in gravissimas necessitates, & Clericali statu indignas sine sua culpa conjicerentur.

RESOL. XIII.

An qui habet duo domicilia, alterum in loco interdicto, & alterum in loco non interdicto, censetur ipse interdictus? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 71. alias 70.

§. 1. **A**liqui censent manere interdictum, ita Calderin. *tract. de interd.* Sed contrarium docet Sylvester *ver. interd. 2. n. 13.* quia non est major ratio, ob quam sentiat onus unius populi, quam libertatem alterius, & hanc sententiam amplectitur Suarez *disp. 32. section. 2. num. 16.* cum ea limitatione ut quamdiu habitat in populo interdicto, ferat onus interdicti, quod videtur revera probabile, & ad mentem legislatorum, & ita etiam docet Turrian. *lib. 2. disp. 48. dub. 2.*

RESOL. XIV.

An licitum sit alicui non interdicto audire Missam Sacerdotis interdicti personaliter? Ex part. 5. tract. 10. Refol. 64.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Philip. Faber de *censur. disp. 15. quest. 1. disput. 5. cap. 1. n. 47.* ubi sic ait: Dubium est, an persona non interdicta liceat audire missam Sacerdotis interdicti personaliter? Respondeo si non est publicè denunciatus, nulli dubium esse non peccare, propter Extravag. *Ad evitanda*, de qua in *disp. de excommunicatione* diximus. Si verò est publicè denunciatus, sustinet Suarez ubi *supra* *sect. 3. num. 5.* non esse peccatum. Ratio ejus est, quia interdictum personale militat contra personam interdictam, ne faciat, vel audiat Missam, & divina Officia, cæterisque functiones Ecclesiasticas, non autem prohibet ne quis cum illo communice, aut ejus actionibus assistat, quia nullo in jure hæc prohibitio apparet explicitè nedum, sed neque etiam implicitè. Vnde dummodò talis non communice in ministrando divina, sed solum assistat, inquit prædictus Suarez, minimè peccatum committere. Hæc autem opinio mihi non probatur, neque tunc in praxi servari posse judico, quoniam celebratio divinatorum Officiorum activa & passiva est mutua. Vnde cum quis privatur ab activa administratione divinatorum, consequenter quoque videtur privari assistentia passiva aliorum ad illa in persona illius. Vnde cum quis interdictus personaliter à celebratione Missæ, ac divinatorum, consequenter etiam prohibitio indicitur, ne alii ei assistant, quia hæc mutuo se se consequuntur. Confirmatur hæc doctrina, quia certum est Sacerdotem lic ministrantem peccare mortaliter, cum autem quis illius Sacrificio assistit, cooperari videtur illi, & communicat operi malo, quatenus est illius Sacerdotis, quia est sacrilegium hujusmodi celebrare: ergo mihi videtur etiam peccare, ideo in jure hæc prohibitio continetur implicitè. Hæc Phil. Faber.

2. Sed his minimè obstantibus negativam sententiam cum Suarez tenet novissimè Turrian. *lib. 2. disput. 49. dub. 2.* ubi docet illicitum esse inducere talem Sacerdotem ad dicendum, vel ei cooperari, non tamen solum ejus Missam audire. Prior pars est manifesta, quia non licet inducere ad actum peccati. Posterior probatur, quia in sola auditione Missæ non est ulla species cooperationis considerato jure naturali, nullum autem est jus positivum, quo prohibeatur talis auditio Missæ. Ego puto utramque sententiam probabilem esse, & hanc posteriorem tenet etiam Mercerus in *3. part. q. 24. de interd. dub. 3.* & Filiucius *tom. 1. tract. 18. cap. 3. num. 77.*

RESOL. XV.

De pena interdicti ab ingressu Ecclesie apposta ab Urbano VIII. in Bulla contra non residentes.

Et clarè, & breviter explicatur, quid importet ista pena.

Et in prædicto casu queritur, an si quis ita interdictus celebret intra Ecclesiam, fiat irregularis?

Et quid, si tantum audiat officia divina?

Et an Episcopus interdictus ab ingressu Ecclesie possit intra illam recipere Sacramenta?

Et an possit in Ecclesia exercere actum jurisdictionis pro foro interno?

Et inter alia alii decem casus cursim adnotantur, in quibus Episcopis interdicitur ingressus Ecclesie. Ex part. 10. tract. 13. & Misc. 3. Refol. 2.

§. 1. A

plant, ut in Can. *Si quis deinceps*. 16. *quest.* 7. Decimo, si excommunicent sine monitione canonica, & præsentibus testibus. *cap. Sacro. de Sens. Excomm.*

RESOL. XVI.

An interdictum ab ingressu Ecclesie prohibeatur omnis ingressus?

Et an saltem dum celebratur Divinum Officium, possit talis interdictus ibi orare, loqui, disputare, & concionem audire? Ex part. 5. tract. 10. Refol. 73. aliis 72.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Filiucius *Pro doctrina* *huius Ref.* *lege §. 1. & 2. præcedentis Ref.* *tom. 1. tract. 18. cap. 5. num. 105.* Comitulus *in respon. moral. lib. 6. quest. 49. numero 5.* Cornejo *in 3. part. tract. 5. de interd. disp. 2. §. 4. quest. 11.* Iacobus Gordonus *in summ. tom. 2. lib. 7. quest. 16. cap. 8. numero 55. & 56.* ubi sic ait: Hic quæri potest, prohibito ingressu Ecclesie, quid præcisè censetur prohibitum sub nomine, tituloque huius ingressus? Respondent aliqui tantum prohiberi ingressum tempore divinorum Officiorum. Ita Navarr. *cap. 27. num. 170.* ac proinde quando non sunt divina, posse hominem sic interdictum ingredi templum, & ibidem orare, contendit. Secunda opinio est debere hoc limitari ad formalem, ut loquantur, templi ingressum, hoc est, non esse licitum ingredi templum ob usum, ad quem illud destinatum est, ac proinde non tantum ad audienda divina, sed nec ad orandum permittum esse ingressum, licebit ergo in hac sententia transire per templum, ibidem loqui, disputare, imò & concionem ibi audire. Ita Suar. *disp. 35. sect. 4. in fine.* Tertia sententia est esse prohibitum omnem Ecclesie ingressum. Ita Abbas *cap. Ecclesia, de immuni. Eccles. num. 5.* Calderin. *de interdicto Ecclesiastico, n. 2. vers. Sed queritur.* Faterur tandem Navarr. hanc esse multorum sententiam. Et sanè si excipiamus concessionem, quæ quibusdam diebus festis facta est interdictis hominibus, *dict. cap. Alma, §. in festivitatibus,* & necessitatem legitimam, ut si quis vocaretur in ius, quod posset interdum dici in Ecclesia. His, inquam exceptis, probabilis est omnem Ecclesie ingressum homini sic interdicto esse prohibitum, quia nulla est ratio cur à verborum proprietate discedamus. Iste verò suspenditur ab ingressu Ecclesie, idque simpliciter, & non restrictè: ergo. Ita Gordonus, satis quidem rigide, & scrupulosè.

2. Idèò negativam sententiam teneo, & ita præter Navarr. docet Reginald. *tom. 2. lib. 3. tract. 3. cap. 30. num. 41.* Covarruv. *in cap. Alma mater, part. 2. §. 1. n. 3.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 19. diff. 9. num. 4.* Hurtad. *tract. de interd. diff. 9. num. 31.* Coninch *de Sacrament. disp. 17. dub. 2. num. 59.* asserentes interdictos ab ingressu Ecclesie dum non celebratur divinum Officium posse ibi orare, quia Ecclesia propriè instituta est ad audienda, vel celebranda divina Officia, non autem ad privatas orationes fundendas, nisi per accidens, & consecutivè. Imò ego puto probabiliter posse interdictum ab ingressu Ecclesie transire per Ecclesiam, dum celebrantur divina Officia, y hazer oracion de passo. Ita ex Navarr. docet Avila *part. 5. disp. 4. dub. 5. concl. 6.*

RESOL. XVII.

An interdictus ab ingressu Ecclesie possit intra illam recipere Sacramenta? Ex part. 5. tract. 10. Refol. 74. aliis 73.

§. 1. **N**ega

Quodam Episcopo interrogatus, ut ei explicarem clarè & breviter quid importaret dicta pena. Respondi, quod per dictam penam Episcopus non potest intra Ecclesiam celebrare, nec audire officia Divina, nec in loco sacro sepeliri etiam intra cœmeterium, vel vero extra Ecclesiam, vel sub dio, vel in tentorio, vel etiam in Oratorio privato non erecto auctoritate Episcopi poterit celebrare, sicut etiam & in cœmeterio, licet ibi non possit sepeliri. Poterit etiam extra Ecclesiam exercere iurisdictionem in foro exteriori, dixi in foro exteriori, quia non poterit absolvere Sacramentaliter, quia est actus ordinis. Præterea circa officia Divina notanda est differentia quadam inter auditionem Divinorum, & celebrationem: nam si celebret intra Ecclesiam sit irregularis, *cap. Is cui de sent. excomm. in 6.* at vero si tantum audivit Divina, licet peccet mortaliter, non tamen sit irregularis.

2. Sed dubium est, an in nostro casu Episcopus interdictus ab ingressu Ecclesie possit intra illam recipere Sacramenta? Partem negativam tener glossa, *can. present. §. 4. 2.* ubi generaliter dicitur, quod cui interdictus Ecclesia, interdicta sunt Sacramenta Ecclesie. Tenet etiam Angelus *verb. Suspendio. 3. n. 4.* Sylvest. *verb. Suspendio. 9. §. circa finem.* & aliqui iuniores. Sed pars affirmativa est mihi probabilior, quam tenet Pater Henriquez, *lib. 13. cap. 32. n. 2.* & videtur de mente Calderini, quem referunt, & sequuntur, Ancharanus, Geminianus, & Francus *dicto cap. Is cui in quantum dicunt, quod interdictum ingressus Ecclesie solum respicit officia Divina.* Item dictus Episcopus benè poterit ingredi Ecclesiam, & ibi orare privata oratione, tempore quo non celebrantur officia Divina; imò poterit transire per Ecclesiam tempore quo celebrantur officia divina, & orationem facere breviter. Et hæc omnia docet Avila *de Cens. par. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 5. concl. 5. per totam.* Vide etiam Gavantium *in Man. Episc. ver. Suspendio. n. 11.* Layman *lib. 1. tr. 5. part. 1. cap. 1.* Filiucius *tom. 1. tr. 18. n. 103.* Vgolinum *de Cens. Tab. 5. cap. 16. §. 3.* Suarez *de Cens. rit. 5. disp. 35. sect. 4.* Sayrum, *lib. 5. cap. 9.* Altherium, *tom. 2. disp. 7. cap. 2.* & alios penes ipsos cum Castro Palao *tom. 6. disp. 5. punct. 4. §. 4. per tot.*

3. Sed hic obiter pro curiosis adnotabo, præter casum adductum, alios casus, in quibus Episcopis interdictis ingressus Ecclesie. Et primò, si præsumant in confidentiam beneficia Ecclesiastica recipere, ut in Extravag. 109. Pij IV. Secundò, si extra casus necessarios ingrediantur Monialium Monasteria, ut in Extravag. Gregorii XIII. incip. *Dubius qui emergunt.* Tertiò, si Episcopi Doctorandi facultatem habentes, aliquem promoveri patiantur, non præmissa fidei professione, ut in Extravag. Pij IV. Quartò, si Metropolitanum non denunciant Summo Pontifici absentiam suorum suffraganeorum, & suffraganei antiquiores absentiam suorum Metropolitanorum, ut decernit Tridentina Synodus *sess. 6. cap. 1. §. Crescente, de Reformat.* Quintò, si sibi usurpent sine iusto titulo bona Ecclesiarum vacantium, ut in *cap. Presenti de Offic. ordin. in 6.* & in Extravag. unica, *ne Sede vacante.* Sextò, si præsumant bona Ecclesiarum, &c. præterquam in casibus à jure permixtis alienare, ut in Extravagant. *Ambrosio de rebus Ecclesiasticis non alien.* Septimò, si occasione visitationis accipiant procuracionem in pecunia, & non in viualibus, ut in capite *Exigit. de Censibus, in 6.* Octavò, si glossas, annotationes, &c. absque auctoritate Papæ super Decretis Concilii Tridentini edere audeant, ut cavetur in Constitut. 73. incip. *Benedictus Deus.* Pij IV. edita anno 1564. registrata in Bullar. ultimæ editionis, *tom. 2. pagina 104.* Nonò si Episcopatum de manu Laicæ personæ cum effectu susci-

Sup. hoc sup.
in Ref. 16.
lege doctri-
nam §. 2.

Negativam sententiam docet Gordon, tom. 2. lib. 7. quæst. 16. cap. 8. num. 56. Suarez disp. 3. §. 1. Alter, tom. 2. disp. 7. cap. 2. Hurtadus tr. de interd. diff. 9. n. 31. Cobiuch de Sacr. disp. 17. dub. 2. n. 59. asserentes interdictum ab ingressu Ecclesiæ illicitum in ea suscipere Sacramenta, quia credibile non videtur aliquem iudicari indignum, qui aliis divinis Officiis interfuit, & tamen ei permittere, ut cum aliis in Ecclesiâ Sacramenta recipiat. Et Ecclesiâ non tantum instituta est ad divina Officia celebranda, sed etiam ad Sacramenta ministranda, & suscipienda.

2. Sed affirmativam sententiam probabilem esse puto: nam Coninch negativam, quam ipse tenet ubi supra, vocat tantum probabiliorum. Et ita hanc sententiam absolute tenet Henriquez lib. 13. cap. 32. num. 2. & Avila part. 5. disp. 4. §. 1. dub. 1. concl. 6. & ratio est, quia interdictum ab Ecclesiâ non prohibetur usus Sacramentorum, sed usus divinarum Officiorum, & sepulturæ: ergo. Et ita hanc sententiam post hæc scripta invenio etiam docere Bonacinam de censur. disp. 5. punct. 5. num. 12.

RESOL. XVIII.

An interdictum ab ingressu Ecclesiæ possit in Cœmeterio Officia divina audire, & Missam celebrare? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 76. aliis 75.

Sup. hoc sup.
ex Ref. 15.
lege doctri-
nam §. 2.

Negativam sententiam docet Villalob. in summ. tom. 1. rr. 19. diff. 9. n. 5. ubi sic ait. [Hæc de advertit, quæ auctor in el cœmeterio se dixisse la Missa, o el Oficio divino, non puede asistir allí el que está desta manera entredicho; porque por nombre de Iglesia también se entiende el cœmeterio, como nota la Glosa, y se colige de un texto, y tiene esta sententia Abad, y ha se de entender del cœmeterio contiguo, como se colige del texto citato.] Ita ille.

2. Qui tamen ibi, & merito, affirmativam sententiam probabilem vocat, quam tenet Filliucius tom. 1. rr. 18. cap. 5. n. 103. Reginald. tom. 2. lib. 32. rr. 3. cap. 29. n. 41. & alii. Et ratio est, quia in talis interdicti sententia tanquam pœnali (& ideo restringenda interpretatione) nomen Ecclesiæ accipiendum est in sigore, quod non comprehendit cœmeterium, ut patet ex communi usu, & ideo jus in cap. is cui, de sententia excomm. in 6. tanquam non satis indicatum prius nomine Ecclesiæ addidit nomen Cœmeterii, ut ad ipsum extenderet privationem sepulturæ Ecclesiasticæ. Verba sunt hæc. Talis quoque si hoc interdictum durante decedat, non debet in Ecclesiâ, vel Cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri. Vide etiam Suarez disp. 38. §. 1. num. 9. & sequent.

RESOL. XIX.

An interdictum ab ingressu Ecclesiæ, si moriatur cum signis pœnitentia, sit absolvendus, ut possit sepeliri in loco sacro? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 75. aliis 74.

Affirmativam sententiam docet Bonacina de cens. disp. 5. punct. 5. n. 1. ubi sic ait. Interdictum ab ingressu Ecclesiæ non potest sepeliri in Ecclesiâ, vel Cœmeterio, nisi forte dederit signa contritionis, tunc enim potest absolvi, & sepeliri in loco sacro. Ita ille.

2. Sed in tali casu ad talem sepeliendum nullam adhibendam esse absolutionem, docet Cornejo in 3. p. tract. 5. de interd. disp. 2. §. 4. quæst. 2. ubi sic ait. Quæres an hoc interdictum privet Ecclesiasticam sepulturam? Respondetur affirmative ex textu in d. cap. bis qui ibi: Talis quoque si hoc interdictum durante decedat, non debet in Ecclesiâ, vel Cœmeterio Ecclesiastico, nisi

Sup. hoc sup.
ex Ref. 15.
lege doctri-
nam §. 1.

pœnituerit, sepeliri. Vbi nota quod ut iste talis sepeliatur in loco sacro, nulla requiritur absolutio à tali interdicto ab homine facta, ut cum Covarruvia docet Avila part. 5. disp. 4. §. 1. dub. 1. concl. 1. & ratio est, nam eo ipso, quod decessit cum pœnitentia, manifestus est absolutus à jure, siquidem hoc interdictum quantum ad hunc effectum positum erat, nisi pœnituerit, atque ita conditione impleta, sublatus manet. Ita Cornejo, & ego.

RESOL. XX.

An in interdicto personali generali licita sit Ecclesiastica sepultura? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 67. aliis 66.

Negativè respondet Faber de cens. in 4. sent. disp. 23. §. 1. disp. 5. cap. 2. num. 56. ubi sic ait. In interdicto personali speciali persona interdicta mulibi sepeliri potest sepultura Ecclesiastica, ut habetur cap. si civitas de sentent. excomm. & est communis opinio. Ratio differentia est clara, quia in primo interdicto prohibitio non fertur in personas absolute, sed ratione loci solum; in secundo verò absolute fertur in personas. At de interdicto personali generali contentio inter DD. Aliqui tenent etiam ipsos privari Ecclesiasticam sepulturam propter jura adducta de interdicto personali, & præsertim ex cap. si sententia, de sentent. excomm. in 6. ubi interdictum personale dicitur ligare singulas personas. Tamen Suarez ubi supra tenet oppositum, propter Extravag. ad evitanda, quæ requirit quod persona sit nominatim denunciata, & interdicta. Sed hæc opinio est difficilis, quia sequeretur quod neque privarentur aliis effectibus, scilicet celebratione divinarum Officiorum, & participatione quorundam Sacramentorum; quod tamen est contra essentiam interdicti. Ad fundamentum ejus responderetur sufficere quod sententia interdicti personalis sit publicata. Hæc Faber & hanc sententiam in prætenendam esse putat Turrian. lib. 6. disp. 51. dub. 1. & illam absolute contra Suarez tenet Præpositus in 3. p. quæst. 4. de interdicto, dub. 4. num. 51.

2. Verum sententiam Suarez disp. 35. §. 1. n. 2. quam impugnant DD. citati sequitur Cornejo in 3. p. tract. 5. de irreg. §. 3. q. 2. ubi docet in interdicto personali generali non esse denegandam Ecclesiasticam sepulturam, ex dicta Extravag. ad evitanda, ubi conceditur privilegium erga eos, qui non sunt nominatim denunciati; nam quamvis in generali interdicto personali fiat generalis denunciatio totius populi, aut communitatis, illa tamen est remota respectu cujusvis in particulari. Vide etiam Megalium in 3. p. lib. 6. cap. 2. num. 6.

RESOL. XXI.

An qui tempore interdicti habent privilegium particulare assistendi divinis Officiis, vel interequentes in diebus Paschatis, Pentecostes, &c. possint in loco sacro sepeliri? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 68. aliis 67.

Negativam sententiam docet Cornejo in 3. p. tract. 5. de interd. disp. 3. §. 4. q. 1. Præpositus in 3. p. q. 4. de interd. dub. 3. n. 42. Hurtadus tract. de interd. diff. 9. n. 30. Gordonus tom. 2. lib. 7. q. 16. cap. 4. n. 44. Cobiuch de Sacram. disp. 17. dub. 2. n. 55. Suarez disp. 38. §. 1. n. 13. Villalob. in summ. tom. 1. rr. 19. diff. 8. n. 4. Mercer. in 3. p. q. 24. de interd. dub. 4. Filliucius tom. 1. rr. 18. cap. 3. num. 96. Alterius de cens. tom. 2. disp. 6. n. 3. & ratio est, quia, ut patet ex c. Episcoporum, de privatis leg. in 6. & ex c. si sententia, de sentent. excomm. in 6. Privatio

Privatio sepulturae Ecclesiasticae est effectus interdicti distinctus à privatione divinarum Officiorum, nec censetur illi necessario connexus, & proinde sepultura non solum ratione divini Officii prohibetur, sed etiam ratione sui. Unde ex concessione unius apte inferitur concessio alterius.

2. Verum non desinam hic adnotare affirmativam opinionem docere Sotum in 4. diff. 22. quæst. 3. art. 1. post 4. concl. Henriquez lib. 13. cap. 44. n. 5. Navarum c. 27. n. 181. Emanuel Sa ver. interdictum, n. 8. Angelum ver. Interdictum 6. n. 35. & 36. & Avilam part. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 4. concl. 1. qui hoc probat. Nam, ut inquit Sylvest. ver. interdictum, §. 9. 2. p. 4. & Tabiena eod. ver. §. 11. circa medium. Sepultura negatur propter duos. Primò ratione divini Officii annexi. Secundò ratione dependentiæ ad ordinem sacrum propter consecrationem Ecclesiæ: unde nec in loco sacro sine divino Officio fieri potest, ergo quando utrumque eorum licet ex privilegio, consequenter licet sepultura. Probatur consequentia, nam cui communicamus vivo, possumus communicare defuncto, & tandem hanc sententiam docet Megala in 3 p. lib. 6. c. 29. n. 44. Ioan. de la Cruz in direct. Confess. part. 2. de cessatione à divinis dub. 1. concl. 3. Episc. Moscosus in sum. tr. 16. c. 8. ubi sic ait: [Sepultura Ecclesiastica se pueat dar generalmente en todos estos dias, y fiestas privilegiadas à Clerigos, y legos, que en esto no ay exception de fiestas, ni de personas, si no es, que ya huviesse otro algun impedimento juridico de por medio. Y algunos autores an querido dezir, que conforme à derecho no se pueden hazer, ni dar las tales bendiciones nupciales, ni Ecclesiastica sepultura en estas dichas fiestas privilegiadas en tiempo de entredicho; pero otros muchos mas tienen, y llevan la primera opinion en ambas cosas, la qual me parece muy bien por ser tan piadosa.] Ita ille. Satis quidem probabiliter, ut recte advertit Tannerus tom. 4. disp. 6. q. 10. dub. 8. num. 160.

RESOL. XXII.

An Episcopus possit suspendere interdictum? Ex part. §. tract. 10. Ref. 70. alias 69.

§. 1. Prima opinio negat. Ita Covarr. in cap. Alma mater, part. 1. §. 1. n. 6. ver. 2. Avila disp. 6. dub. 4. concl. 4. & glossa in c. ad hac, de appellat. Probatur hæc opinio, primò, quia Episcopi sunt inferiores lege Pontificia, ac subinde eam servare, non autem privilegio, aut dispensatione tollere possunt, juxta regul. cap. cum inferior. de major. & obed. Deinde, quia censura suam secum trahit executionem, & ideo nec per appellationem ejus effectus suspendi possunt, c. Pastoralis, §. 5. verum, hoc titulo: ergo à fortiori neque Episcopus inferior poterit eam suspendere, quemadmodum in excommunicatione etiam respectu proferentis, quod non possit concedere ut quis cum excommunicato à se ipso communicet, sed necessaria sit absolutio, quæ in totum excommunicationem tollat, resolvunt DD. communiter, per unam scilicet ex tribus formis absolutionis ab Ecclesia receptis, vel simpliciter, vel ad cautelam, vel ad reincidentiam, juxta c. cum desideres, de sent. excomm. ergo. &c.

2. Secunda opinio affirmat. Ita Navar. c. 27. n. 183, & glossa in præfati, de sent. excomm. in 6.

3. Tertia opinio has sententias contrarias conciliat: aut enim interdictum est latum à jure, vel ab homine; quando à jure prolatum est, ab Episcopo suspendi posse concedunt, ut ex Soto, qui hoc non dicit in 4. diff. 22. q. 3. art. 1. concl. 3. tractat Fr. Emanuel qq. Regul. tom. 2. q. 111. art. 1. concl. 3. & post Sylvest. Suar. tom. 5. disp. 38. sect. 3. n. 6. per regulam textus in c. super, vers. in secundo, de sententia excomm.

Tom. V.

RESOL. XXIII.

An Confessarius possit tollere interdictum personale particulare, sine reservatione latum, post satisfactionem, vel satisfaciendi cautionem? Ex p. §. tr. 10. Ref. 72. alias 71.

§. 1. Negativam sententiam docet Henricus lib. 13. Sup. hoc sup. c. 35. n. 2. & Avila p. 5. disp. 6. dub. 1. concl. 2. ubi sic ait: Parochus & Confessor ordinatus non possunt via ordinaria absolvere ab interdicto, sive imposito à jure, sive ab homine, quia talis absolutio non est necessaria ad absolutionem à peccatis, sicuti absolutio ab excommunicatione. Ita ille.

2. Verum contrariam sententiam tenet Coninch de Sac. disp. 7. dub. 6. n. 7. Suar. disp. 38. sect. 2. m. 9. Præposit. in 3. p. q. 4. de interdicto, dub. 6. n. 61. Cornejo in 3. p. tr. 5. de interdicto, diff. 4. Layman lib. 1. tr. 5. p. 4. c. 5. n. 3. Hurtadus tr. de interdicto, diff. 16. n. 48. & Mercerus in 3. p. q. 24. de interdicto, dub. 8. sic enim asserit. Interdictum latum ab homine tollitur à solo illo, qui tulit, vel Superiore, vel successore, vel delegato, latum verò à jure si sit in poenam commissi peccati, tollitur lapso tempore, pro quo latum est, si sit ob contumaciam, & reservatum sit, tollitur per eum, qui reservaverit, nisi quod per Concil. Trident. sess. 24. c. 6. de reform. possit Episcopus à reservatis Pontifici absolvere, modò casus sit occultus, si reservatum non sit, & locale sit, potest tolli ab Episcopo loci, vel habente jurisdictionem Episcopalem, ut etiam personale generale: at personale speciale à quolibet proprio Confessore, modò detur cautio sufficiens. Ita Mercerus, & rationem ego adducam, quia interdictum personale speciale non

S

minus

quando interdictum ab homine latum est, subdistinctionibus, vel enim agitur de Episcopo, qui illud protulit, vel de aliis. An priori aint procedere primam sententiam desumptam ex hoc textu, quod scilicet Episcopus qui interdictum protulit, illud pro certo tempore, aut causa suspendere valeat; in posterioribus verò procedere contrariam sententiam negativam, quod inferiores Romano Pontifici interdictum ab ipso Pontifice vel ab aliis Prælati prolatum relaxare non possunt, nec in totum, nec etiam ad tempus suspendere, ut concludunt fundamenta pro eadem parte negativa adducta, atque ita hanc distinctionem expresse tradunt Covarruvias cit. loc. & Henriquez in sum. lib. 13. c. 51. §. 4. ver. 4. Suarez disp. 38. sect. 3. a n. 5. juncto num. 6. vers. & propterea. Ratio autem proxima & efficax hujus distinctionis secundum eos illa est, quia effectus censura ex intentione & mente pendet proferentis, c. veniens 2. de restib. & eatenus ligant, quatenus intendit, qui ligat, ex regul. non omnes, ff. si certum petatur, c. cum super de officio delegatis, cum similibus. Ad fundamentum verò ex regula textus in d. c. Pastoralis, §. verum respondet Suarez sententiam illius rexisse esse quoddam censuram suam secum trahant executionem, abique alio hominis ministerio, sed in hac ipsa actuali executione pendere interdictum, & ejus effectus ex voluntate & intentione proferentis, ex qua ratione idem Covarr. Henriquez, Sayrus, & Suarez concludunt, hoc ipsum in interdicto personali esse resolvendum, & quamvis latum sit ob personæ contumaciam, quæ adhuc durat, considerent tamen occurrere posse rationabiles causas, propter quas justum sit interdictum suspendere ad tempus certum, licet non sufficiant ad illud omnino tollendum, & hæc omnia observat & docet doctus & amicus Barboza in collectan. Doctor. tom. 1. lib. 2. tit. 28. c. 55. num. 2. & 3. Vide etiam Layman lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. 5. num. 3.

Sup. hoc lege doctrinam Ref. 9. Signanter §. 2. paulo post initium, & ex illo inferas quid sup. hoc, &c.

minus quam excommunicatio prohibet à perceptione Sacramentorum, ut supra dictum est c. 2. n. 1. ergo si curi excommunicationem si reservata non sit ante absolutionem à peccatis, quibus expositus Confessarius tollere potest, arg. c. nuper, de sent. excommunic. ita & interdictum hoc personale.

RESOL. XXIV.

An interdictio Clero intelligatur interdictio Religiosi?
Et quid, si Religiosus habeat beneficium seculare, v. g. Pastorum, Canonatum, &c. ita ut censeatur à suis segregatus?
Et quid est dicendum, si censura feratur sub nomine personarum Ecclesiasticarum, an comprehendantur Religiosi, etiam Conversi, Moniales, Novitii, & Eremitae? Ex p. 5. tract. 10. Ref. 81. aliis 80.

Sup. hoc su-
pra in tr. 2.
Ref. 51. §. 5. sed
ad h. 6.

Affirmativè respondent Doctores quos citat Sayrus lib. 5. c. 4. n. 29. & hanc opinionem esse communem testatur Covarruvias in c. alma mater, part. 2. c. 1. num. 8. §. 5. & tenet ex neotericis Megala in 3. part. lib. 2. c. 1. q. 2. n. 15. Suar. disp. 32. sect. 2. num. 17. quia tota communitas distinguitur in populum & Clerum; sed Religiosi non comprehenduntur sub nomine populi: ergo sub nomine Cleri.

2. Verum tu ne discedas à contraria sententia, Dico igitur quòd quando interdictio Clerus, neque ex antecedentibus, vel consequentibus constare potest de contraria mente iudicis, vel legislatoris, non comprehendantur personae Religiosae, quia, ut tradunt

varii, tales in odiosis non comprehenduntur nomine Cleri, etiam si primam tonsuram habeant, nisi ex adiunctis aliud colligatur, atque ita si in sententia dicitur, Interdicimus Clerum talis civitatis, non comprehenduntur Religiosi. Quod intelligo, nisi Religiosus habeat beneficium seculare, verbi gratia Pastorum, Canonatum, ita ut censeatur à suis segregatus, quia talis sub nomine Cleri comprehenditur, quòd si censura feratur sub nomine personarum Ecclesiasticarum, comprehenduntur Religiosi etiam Conversi, & Moniales, quia etiam hi divino servitio se mancipant, & vocantur personae Ecclesiae: imò comprehenduntur Eremitae: verius etiam est comprehendi Novitios, quia etiam hi censentur personae Ecclesiae quòd versantur in probatione, si interdicatur Religiosi, verius est eos non comprehendere, quia in odiosis non veniunt nomine Religiosi. Et haec omnia docet Præpositus in 3. p. 9. 4. de interd. dub. 2. n. 11. cui addit Portel in dub. reg. ver. interd. n. 5. ubi sic ait. Interdictio Cleri universo alicuius urbis, non interdicuntur Religiosi illius urbis si verba aliud non indicent, quia in odiosis nomine Cleri non intelliguntur Religiosi, bene tamen in favorabilibus. Ita ille, cui addit Veginum tab. 5. §. 5. n. 3. Alterum tom. 2. disp. 1. cap. 5. dub. 6. Coninch de Sacram. disp. 7. dub. 1. n. 9. Avilam p. 5. disp. 1. dub. 4. concl. 7. & Laymann. lib. 1. tr. 5. part. 4. c. 3.

In Indice primo hujus Tom. 5. Vide Appendix ad hunc Tract. 4. Vbi reperies alias multas quaestiones mistas, & dispersas per alios Tom. Tract. Ref. quae simul pertinent ad hunc Tract. 4. de Interdictio.

TRACTATUS QUINTVS,
DE IRREGVLARITATE,

Atque de ejus Dispensatione.

RESOLVTIO PRIMA.

An ad incurrendam irregularitatem, quam culpa sequitur, sufficiat peccatum veniale?
Et an Papa possit imponere irregularitatem purè ob peccatum veniale? Ex p. 4. tract. 4. & Misc. Ref. 41.

Quæ nunc §. 1
hanc sequen-
tur, & in Re-
solut. 1. post
seq. & infra
Ref. 6. cursum
in duabus
ejus ult. lin.
& in Ref.
32. 1.



NEGATIVAM sententiam docui in part. 2. tract. 2. Miscell. ref. 20. sed novissimè, me citato, hanc sententiam tanquam improbabilem damnavi Megala, in var. resol. tom. 2. resol. 159. num. 4. & c. continebatur, de homicidio.

2. Sed nescio, quomodo opinio communis Doctorum validissimis fulcra rationibus possit à Megalio improbabili vocari, & ita hanc sententiam præter Sayrum, Suarez, Coninch, Bonac. Filliuc. Sanch. Vilalobos, quos ubi supra citavi, tenet etiam Montefinus in 1. 2. tom. 2. q. 7. c. art. 4. disp. 8. q. 12. n. 153. Turrianus de cens. lib. 8. disp. 57. dub. 2. Gord. in Theol. moral. tom. 2. lib. 7. q. 10. §. 4. n. 14. Laym. in Theol. mor. lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 1. n. 4. Ioan. de la Cruz in direct. conscient. part. 2. de irregul. dub. 12. concl. 6. Tann. tom. 4. disp. 6. q. 10. dub. 10.

n. 181. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 19. punct. 3. §. 5. Valq. in 1. 2. disp. 158. c. 1. Hurtado de irregul. disp. 1. diff. 2. n. 8. Præpositus in 3. p. D. Thom. 9. 5. de irregul. dub. 2. n. 6. Avila de censuris part. 7. disp. 2. dub. 3. concl. 3. Sotus de just. lib. 5. q. 1. art. 9. & alii penes ipsos, quia non est lex canonica ulla, quæ decernat irregularitatem propter solam venialem culpam, sed nec debere decerni, quia est poena gravior suspensione, & tamen suspensio postulat peccatum mortale ex communi opinione, imò est gravior etiam excommunicatione minore, cum privet executione Ordinum, nec sit poena medicinalis, sed de se quidem perpetua, & difficilis admodum dispensationis, quæ quidem sententia est ita vera, ut asserat Coninch de Sacram. disp. 18. dub. 2. n. 19. & Suarez tom. 5. disp. 40. sect. 3. n. 17. Pontificem non posse purè ob peccatum veniale ferre irregularitatem, & licet contrarium asserat Avila de cens. part. 7. disp. 2. dub. 3. concl. 2. tamen adversus illum insurgit novissimè Turrianus de censuris lib. 8. disp. 57. dub. 2. & sic ait. Fallitur Avila dicens Papam posse imponere irregularitatem ob peccatum veniale, sed de irregularitate et poena falsum est, quia poena non esset proportionata est de facto nullam irregularitatem esse ipsam in iure, nisi pro culpa mortali, & ad c. continetur, quod